



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. III. Circa laborum difficultatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

tantum testimonium perhibuit Filius DEI. Cujus causam mox subjiciens, intelligere debemus, ait, ipsum Nathanaelem eruditum & peritum legis fuisse; propterea noluit illum Dominus inter Discipulos ponere, quia idiotas elegit, unde confunderet mundum.

XLVI. Quartò illum hortetur, ut firmiter credat, quod S. Paulus Philip. 2. dixit, quòd scilicet DEUS operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, id est, juxta mensuram fiduciæ, quam de ipsius auxilio, gratiæque concepimus, ita ut verissimè S. Bernardus l. 15. in Psalm. qui habitat: dixerit: *Tantum pro nos operabitur DEVS, quantum se nostra in eum fiducia extenderit.* Quod confirmans S. Cyprianus super illa verba Deut. 11. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester utique spes vestra est, & quantumcunque illa processerit, obrinebit.* Meritò ergo etiam Paphnutius sperare potest in Domino, dicerèque cum S. Paulo 1. Cor. 3. *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad DEUM; non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est, qui & idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti.*

§. III.

Tentatio III. Circa laborum difficultatem

XLVII. **B**arnabas Parochus magni cujusdam Pagi advertens, nimios esse labores, quos sive in habendis concionibus & Catechismis: sive in audiendis confessionibus: sive in visitandis, & per Sacramenta muniendis infirmis: sive propter domesticam Familiam gubernandam, œconomiãmq; administrandam occurrunt, tantum muneris sui fastidium concipit, ut propè de eodem abdicando se resolverit; quam

proin suam resolutionem Confessario suo aperit. Quæritur, quomodo hæc tentatio ei eripienda sit?

Responsio.

XLVIII. Inprimis illi ostendat, quid S. Chrysostomus ho. 43. illa S. Pauli I. Cor. 16. verba: *Ostium mihi apertum est magnum & Adversarij multi*: explicans dixerit, dum quærit: *si magnum*, quomodo *adversarij multi*? & respondet: *Quòd multi adeo relinquitur, indicium est Evangelica victoria. Nusquam enim nocentissimus ille adversarius irritatur gratia quam cum suorum instrumentorum multa eripi sibi videt. Verùm nos, ubi magnum aliquid & egregium opere statuerimus, nequaquam id nullo labore constituimus, sed cogitemus, sed utilitatem magis respiciamus. Vigetur exemplum ejus in Paulo, qui nihil, quòd multum essent Adversarii, cessat, verùm, quòd magnum parastium, instat diligenter negotio.*

XLIX. Secundò eidem ob oculos exemplum Jobi Patriarchæ ponat, cui quatuordecim anni gravissimis laboribus consumpti breves & jucundi hæc de causa videbantur, quia per illos Rachelem tantum à se dilectam lucraturum se sciebat; quomodo magis ergo ipsi omnes labores jucundi accidere debent, si minerit, se & pulcherrimas animas, & ipsam Deitatem infinite amabilem per totam æternitatem fructuam lucraturum; an non proin meritò illis pij libere de imit. Christi verbis I. 3. c. 47. *se excitabit & non te frangent labores, quos assumpsisti propter me, & tribulationes te dejiciant usquequaque, sed mea proin in omni eventu te roboret: & consoletur. Ego suffragor sum ad reddendum supra omnem modum & meum*

Non diu hic laborabis, nec semper gravaberis doloribus. Expecta paulisper, & videbis celerem finem malorum. Veniet una hora, quando cessabit omnis labor & tumultus. Modicum est, & breve, omne, quod transit cum tempore. Age, quod agis, fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua.

L. Tertio Pastorum quoque aliorum oves corporales custodientium exemplum saluberrimis S. Caroli Borromæi verbis proponat illi: Perpendamus, inquit, ovium Pastores, illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum studiis patiuntur. Illi sæpenumero unversum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem & qui in Lydia sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam vagando circumferunt. Si tantum erga pecora diligentia impendunt Pastores illi, quam, quaeso, excusationem habebimus, quibus rationales anima concreditæ sunt, quod profundum hunc somnum dormimus. Quis, quaeso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur: si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus tanquam ad Nundinas currendum erat.

LI. Quarto denique perpendere eum jubeat, quantum non tantum laborum, sed etiam consolationum celestium ostium per munus hoc suum laboriosum ipsi sit apertum; id sanè DEUS Jeremiæ olim promississe videtur c. 15. dicens: Si separaveris pretiosum à vilis (id est animas à peccato) quasi os meum eris, id est, voluntate perinde repleberis; sicut ori per procuracionem optimi cibi & potûs varias delicias procurare solemus; id quod S. Franciscus Xaverius expertus est, ut

qui inter summos labores & difficultates tantis deliciis
& consolationibus cœlestibus affluebat, ut exclamare
cogeretur: *satis est, Domine, satis est.* Sed & P. Henriquez;
teste Orlandino p. 1. hist. Soc. l. 8. n. 1. affirmavit,
tantâ in medijs pro animarû salute suscipiendis
laboribus esse copiâ divinarum consolationum, ut quis
vis mallet his laboribus frangi, quàm subito in celum
rapi. In sede Juliacensi verò Provinciæ Peruanæ,
ceteri operarij nostri summos labores exhaurirent, omnino
que terreno solatio carerent, tam incredibili tantorum
eorum animi voluptate perfundebantur, ut sedes illa
Domicilium lætitiæ fuerit nominata, ut literæ anno
1603. Provinciæ Peruanæ testantur, ut adeo meminerit
tales operarij de laboribus suis dicere queant, quod
David de doloribus Ps. 93. dixit: *Secundùm multitudinem
dolorum meorum in corde meo (& laborum) consolationes
tuæ lætificaverunt animam meam.*

§. IV.

Tentatio IV. circa pericula corporis.

LII. Lucas cooperator advertens pestilentie contagionem
ingruere, ob quam rogatus a Parocho suo est, ut Pestiferorum ministerio
poni se patiatur, nullatenus adduci potuit, ut huic propositioni
assentiretur, assiduò prætendens vitæ amittendum
periculum, quod ex tali ministerio sibi certissimè
minere credebat. Quæritur, quomodo roboratus
fuit à Parocho contra talis periculi timorem.

Responsio.

LIII. Inprimis meminisse eum jubet, quàm multos
in tali periculo constitutos DEUS illæsos servaverit, &